

pracones malorum, ut vult Piscator, quia dicuntur in statu constructo Malache Rajim, Angeli malorum, non enim sermo est de cladis nunciis, sed effectoribus. Non intelligi debent Angeli boni, quia dicuntur Angeli malorum, ut Vir sanguinum Ps. V, 7. *οἱ ἀγγέλων πονηρῶν LXX.* quia expressè Exod. XII, 23. *Vastator ille vocatur cum ἡ hammafcbit ὁλοθρευῶν,* quia additur *יְהוָה לֹא יִתֵּן לָהֶם אֱלֹהִים* non dabit, non permittet Deus. De illis loquitur (Moses), qui piorum exitium querunt, quos Deus non permittet, ast tales sunt mali. Regerit Rivetus: inter Deum & Diabolos tum fuisse in Aegypto conflictum. E. non est usus eorum opera. Resp. Deus, quo instrumento peccari solet, eo saepe punit. Atque ita *ὡς ἐν παρόδῳ* loci hujus explicationem hic addere voluimus, ut nostri Porismatis veritas, quæ jamjam quidem ex Saulis Exemplo sufficienter colligi poterat, eò clariùs constaret.

## CAPUT II.

De

# MEDICINA SAULIS.

§. I.

**O**ccupati in præcedente Capite fuimus circa explicationem illius morbi, quo Satanas ex permissione Dei justissima Saulem afflixit, nunc etiam, ut de Medicinâ contra eum adhibitâ agamus, ordo postulat. Hanc verbis sequentibus loco superiùs allegato descriptam legimus: *וְהָיָה בְּהֵיוֹת רוּחַ אֱלֹהִים אֶל שָׁאֹל וְלָקַח רוּחַ אֶת־הַכִּינּוֹר וַנִּגַּן בְּיָדוֹ וְרוּחַ לְשָׁאֹל וְטוֹב לוֹ וְסָרָה מֵעָלָיו רוּחַ הַרְעָרָה*  
*Et fuit in existendo Spiritum Dei in Saul, & capiebat David citharam, & modulabatur manu suâ, & erat respiratio ipsi Saul, & benè erat ei, recedebatq; de super eo Spiritus malus.*

G 2

§. II, VI.